





DISPUTATIO UNDECIMA,

QVA

A C T A

S. APOSTOLORUM

EX SCRIPTORIBUS ANTIQVIS,
SACRO-PROFANIS, MAXIME EX PATRIBUS EC-
CLESIASTICIS ET AUCTORIBUS CLASSICIS
GRAECO-ROMANIS ILLUSTRATA,

JOANNES CASPARUS
SANTOROCCUS,

Profesfor Ordinarius,

ET

GEORGIUS PHILIPPUS
LUDOLPHUS,

Eschweceusis,

Publicæ Dnm. Commilit. disquisitioni,

h.l.f. Die xxvi. Novemb. c*io* d*o* ccxviii.

subjiciunt.



In Academia Marburgensi,

Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr.



DISPUTATIO ENDECIMA.

A C T A
S. APOSTOLORUM

EX SCRIPTORIBUS ANTIQVIS
SACRO PROFANIS MAXIME EX PATRIBUS EC
CLIASTICIS ET AUCTORIBUS CLASICIS
CRISTIANO ROMANO ILLUSTRATA

JOHANNES CASPARUS
SANTOROCES

Professor Ordinarius

ET

GEORGIVS PHILIPPVS
LEDOLPHVS

Elp...

Publice Dm. Cur. m. d. c. c. x. v. i. i. i.
h. l. Die xxv. Novemb. cis. d. c. c. x. v. i. i. i.

.....

Typis Philippi Casimiri Müllerii, Amd. Typog.





f. N. D. A.

DISPUTATIO UNDECIMA,

Qua

ACTA S. APOSTOLORUM
ILLUSTRANTUR.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ. Α.Ι.

VERS. IV.

Καὶ συναλιζόμενοι, πα-
ρήγγειλεν αὐτοῖς ἀπὸ Ἱεροσο-
λύμων μὴ χωρίζεσθαι, ἀλλὰ
περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ
Πατρὸς, ἣν ἠέσασέ με.

Versio Lat. Vulg.

Et convalescens, præcepit
eis, ab Jerosolymis ne disce-
derent, sed expectarent pro-
missionem Patris, quam au-
distis (inquit) per os meum.

§. I.



remus adhuc in vocabulo συνα-
λιζόμενοι examinando : postea-
quam enim præced. Disput. VII, *Disput. Un-*
decimam.

VIII, IX, & X. ipsius voc. lectiones
variantes recensuimus, pertracta-
tionis nostræ series postulat, ut ad
genuinam SIGNIFICATIONEM

ejusdem scil. vocab. eruendam transeamus. Confer.
Disput. nostram VII, in Act. Apost. Part. I, §. I, Numer. II,
pag. 6.

A

§. II.

§. II.

Profectò, lis minimè minima oborta est inter **CRTICOS**, qui voc. συναλιζόμενοι ex origine reddere voluerunt, quorum litem, an componere possumus, tentabimus. Antequam verò tentamen hoc ad actum ipsum deducamus, **PRIMO** quidem diversas **INTERPRETUM** sententias, quæ de **SIGNIFICATIONE** vocabuli συναλιζόμενοι traditæ sunt, ordine decente, unà cum **ARGUMENTIS** illuc spectantibus commemorabimus; **SECUNDO** autem falcem nostram criticam in **INTERPRETUM** illorum messem ea, quæ par est, modestia immitteremus, cum in finem, ut certam quendam **SIGNIFICATIONEM** inveniamus.

§. III.

Dua potissimum sententia de significatione voc. συναλιζόμενοι traduntur.

In duas potissimum abeunt sententias, qui de **SIGNIFICATIONE** vocabuli συναλιζόμενοι, quod more Atticò, passivum sono, & sensu activum, aliquid memoriaræ prodiderunt: alii enim, inter quos **ARIAS MONTANUS**, **CALVINUS**, **PAGNINUS**, **BEZA**, **SCALINGER**, **CAMMERARIUS**, **ARCULARIUS**, **LENEUS**, **PASOR**, **STRESO**, **LIGHTFOOTUS**, **LEUSDENIUS**, **LEEUWEN**, &c. existimant, τὸ συναλιζεσθαι, à quo participium συναλιζόμενοι descendit, commodè verti posse, per verba *convenire, congregare, s. congregatis se adjungere*, ita ut συναλιζόμενοι **CONGREGANDI SIGNIFICATIONEM** habere debeat: alii autem, inter quos **VERSIONIS VULGATÆ FAUTORES** agmen primum ducunt, dictum vocabulum συναλιζόμενοι interpretantur *convalescens, consalescens, sal & mensam communicans, s. eodem sale, & cibo vescens*. Nec desunt quorundam **ARGUMENTA**, quibus Patroni causæ ab utraque parte

Verf. IV. IN ACTA S. APOSTOL. §

parte suam significationem, quam vocabulo συναλιζόμεν[Ⓞ] attribuunt, suffulcire laborant.

§. IV.

Quantum ad eos, qui participium συναλιζόμεν[Ⓞ] *Quingue* verti malunt, *conveniens, congregans, congregatus* se ad- *argumenta* *juvans*, sequentibus ARGUMENTIS pugnant. *pro congregandi signifi-*

PRIMUM ARGUMENTUM est ETYMOLOGI- *ficatu.*

CUM: nam, ajunt, συναλιζομαι, compositum ex σύν & ἀλιζομαι, derivatur ab ἀλις, *fatīs, abundè*, à quo adverbio descendit ἀλία, (a) *cætus, q. d. ubi fatīs, hominum est, & consequenter συναλιζόμεν[Ⓞ] ex origine sua reddunt, conveniens, congregans, &c.*

SECUNDUM ARGUMENTUM desumptum est *II. Argumentum.*

ex ALLIARUM VERSIONUM consensu: v. gr. ARABICÆ versionis sensus est: *cūm q̄. se cum eis collegisset.*

ITALICÆ: *havendo raunati insieme.* GALLICÆ: *aiane assemblés, vel S assemblant.* HISPANICÆ: *juntando.*

GERMANICÆ LUTHERI: *als er versamlet hatte.*

GERM. REITZII: *als er zu ihrer Versammlung kommen.* BELGICÆ: *als hy vergaderi Was.* ANGLICÆ: *being assembled together.* POLONICÆ: *az gromadzicow-zy.*

TERTIUM ARGUMENTUM quaritur in aucto- *III. Argumentum.*

ritate (b) CYRILLI, qui in opere suo, ubi S. Scriptura- rum dictiones exposuit, vocab. συναλιζόμεν[Ⓞ] interpretatus est per συναθροίζόμεν[Ⓞ].

A 2

QVAR-

(a) Herodotus Lib. I. Ἰλλίαν τῶν Περσῶν ἐποίησατο, scilicet κίβ[Ⓞ].

(b) Cyrillus apud Des. Erasm. Rotterodam, in Act. Apost. Cap. I. v. 4.

IV. Argu-
mentum.

QUARTUM ARGUMENTUM suppeditat HE-
RODOTUS HALICARNASSEUS, (*) Ἰάδος ἄριστος κα-
νῶν, qui verbò συναλιζῶ, συναλιζομαι in CONGREGAN-
DI SIGNIFICATU frequenter usus est. ex. gr. Quan-
do laudatus (c) Auctor de Pherone, Ægypti Rege lo-
quvitur, verba συναλιζειν & συναγειν pro synonymis po-
suit: etenim cum dixisset, συναγαγεῖν τὰς γυναῖκας, &c.
CONGREGASSE mulieres, &c. statim subjunxit, repe-
titione sibi consuetâ utens, ἐς ταύτην συναλίσαντα, perin-
de, ac si dixisset, ἐς ταύτην συναγαγόντα, cum in ean-
dem scil. urbem CONGREGASSET. Videatur (d) Step ha-
nus. Item (e) alibi: οὕτω μὲν δὴ συνηλίζοντο, αἰετὲ ἰτα
CONVENIEBANT. Itemque (f) οἱ δὲ Πέρσαι πυθόμενοι
συναλιθέντας τὰς Πάιονας &c. Persæ verò certiores facti,
Pæonas esse CONGREGATOS. Addatur & (g) sequens
locus: Τότε δὲ οἱ Πέρσαι, οἱ ἐντὸς Ἄλυος ποταμοῦ, &c.
συνηλίζοντο. Tunc autem Persæ, qui inera Halyn fluvium
habitabant, &c. CONGREGABANTUR.

V. Argu-
mentum.

QVINTUM ARGUMENTUM colligitur ex an-
tiqvis

(*) Ita vocatur Herodotus à Dionysio Halicarnasæ, Epist.
ad Cn. Pompejum. p. 130.

(c) Herodot. Halicarn. Euterp. s. Lib. II. Auctor hic suavis-
simum suum Historiarum opus condidit A. U. C. CCCX, ante Christ.
nat. CCCXLIV. Confer. Clariss. J. A. Fabricii Bibliothec. Græc.
Lib. II. Cap. 20. §. I.

(d) Henr. Stephanus, Thes. Græc. Ling. Tom. I. pag. 325,
sub rad. αλις, monet, in dicti loci interpretatione addendam esse
particulam INQVAM; hęc modò: cum inquam in unam eos
urbem congregasset, vel coëgisset.

(e) Herodot. Halic. Lib. I. pag. 15.

(f) Herodot. Halic. Lib. V. pag. 184.

(g) Herodot. Halic. Lib. V. pag. 206, & Lib. VII. pag. 247.

tiqvis Lexicographis Græcis, *HESTCHIO* ac *SPIDA*. Ille, nempe *HESTCHIUS*, qui teste (h) *Casaubonô*, serîo Græcantibus apprime utilis, quando Vocab. συναλιζόμενⓄ interpretatur, explanandi gratiâ, hæc, quæ sequuntur participia, συναλιθεῖς, συναχθεῖς, & συναθροισθεῖς, tanquam synonyma adjungit. Adde, quòd, conjecturante (i) *Clar. J. Casp. Svicerô*, *HESTCHIUS* ita scribens procul dubio ad h. loc. Act. Cap. 1. ὕ. 4, respexisse videatur. *HESTCHIANÆ* sententiæ accedit (k) *SPIDAS*, qui eundem hujus verbi συναλιζομαι, *SIGNIFICATUM* confirmat, quando συναλισας & συναλιθεῖς per συνάξας, συναθροισας, & συναχθεῖς exponit. Atque hæc ferentur argumenta, quibus vocabulo συναλιζόμενⓄ *CONGREGANDI SIGNIFICATIO* vendicari possit, ita ut *Jesus Christus* hic loci dicatur συναλιζόμενⓄ, i. e. *CONGREGATUS* scil. cum Apostolis: notissimum enim est, quòd ille cum his per quadraginta istos dies, de quibus *Versus 3, Cap. 1, Actor.* loquitur, *CONGREGARI*, versarique sapius fuerit solitus.

§. V.

Posteaquam argumenta eorum, qui *congregandi* *Transitio* *significationem* vocabulo συναλιζόμενⓄ attribuunt, ordine commemoravimus, convenienter paragrapho præcedenti secundo, recensebimus sententiam eorum, qui dictum vocabulum συναλιζόμενⓄ vertere malunt per *CONVESCENS, CONSALESCENS, &c.*

A 3

§. VI.

(h) *Casaubon, Epist. XLIX.*(i) *J. Casp. Svicer, Thesaur. Ecclesiast. è Patrib. Græc. Tom II. pag. 1106. in verb. συναλιζομαι.*(k) *Svidæ Lexic. Græco-Latin. à Lud. Kuffero editum, Tom. III. pag. 399.*

§. VI.

Sex argu-
menta pro
convescendi
significati.

Quantum igitur ad ARGUMENTA ipsorum probantia attinet, ea fere erunt sequentia, quæ hinc & inde mirum in modum dispersa, non sine multo labore in unum collegimus.

Argumen-
tum I.

ARGUMENTUM PRIMUM est itidem ETYMOLOGICUM : nam verbum συναλιζομαι, à quo συναλιζόμενος descendit, componunt ex σύν simul, & ἀλιζομαι salior, quod est ab ἄλς, mare, plural. ἄλεις, sal, (1) convictus mutuus. Quodsi ergo, argumentantur, ἄλς, plur. ἄλεις, mutuum convictum significat, & τὸ συναλιζομαι per synechdochen idem est, ac eodem sale aut cibo vesci, quippe sal condiat cibos, gustuique gratos efficiat, oportet, ut συναλιζόμενος, Act. I, 4, Latine vertatur CONVESCENS.

Argumen-
tum II.

ARGUMENTUM SECUNDUM nititur VERBOSIONIBUS sequentibus, nimirum SYRIACA, ÆTHIO-
PICA,

(1) ἄλεις, i. e. convictus mutuus. Quod hæc ita se habeant, patet ex Æschin, de fals. leg. & Aristot, apud H. Stephan, in Thes. Græc. ling. Tom. I, pag. 365. Item ex Crauser. Phosphoro Græcar. N. T. voc. & phras. in vocab. συναλιζομαι. Addatur & hoc ex Martini Lexic. Philolog. Tom. II. pag. 509. sunt & ἄλεις, inquit, cibus familiaris per Synechdochen partis, unde ἄλεις συνάλειψαι, salem unâ consumere, de familiari victu dicitur. sic etiam Latinorum vocab. SAL, quod idem est, ac Græcorum ἄλς, (nam Græc. aspiratio Latinis sæpe vertitur in s, ex gr. ἰπίς, super, v̄s, sus, ἕρπας, serpo,) pro quocunque tenui ac frugali cibo ponitur. Vid. Horatii Lib. I. sat. 3. v. 13, 14.

- modo sic mihi mensa tripes, & concha salis puri, in quem locum confer. Chabotium. Tom. II. pag. 44. Commentar. in Horat. In eundem ferè modum Germani pro tenui victu dicunt, Salz und Brod.

PICA, ARMENICA atque LATINA VULGATA, quippe quæ omnes in eo ita conveniunt, ut vocabulo συναλιζόμενⓄ CONVESCENDI significationem concesserint. ex. gr. SYRIACÆ sensus est: cum comedisset panem. ÆTHIOPICÆ: prændens. ARMENICÆ: cum communi-
care panem. LATINÆ VULGATÆ: convescens.

ARGUMENTUM TERTIUM ab AUCTORITA Argument-
TIBUS PATRUM ECCLESIASTICORUM dependet: tum III.
testis enim citatur (m) CHRYSOSTOMUS, qui, ut
melius intelligatur, quid sit συναλιζόμενⓄ, remisit ad
locum Act. X, v. 41, οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίο-
μεν αὐτῷ. Verba CHRYSOSI OMI hæc sunt: καὶ οὐδὲ
τοῦτα ἠρεσάθη, ἀλλὰ καὶ τράπεζαν προσετίθει, ὅπερ οὖν καὶ
προϊὼν λέγει, καὶ συναλιζόμενⓄ αὐτοῖς. Τῆτο δὲ αἰὶ καὶ
αὐτοὶ οἱ Ἀπόστολοι τεκμήριον ἐποιῶντο τῆς ἀναστάσεως λέ-
γοντες οἵτινες συνεφάγομεν, καὶ συνεπίομεν αὐτῷ. i. e. DES,
ERASMO ROTERODAMO interprete: ac ne his quidem
contentus fuit, (scil. JESUS CHRISTUS) sed MENSAM
etiam addidit: nimirum hoc est, quod (LUCAS) deinceps
(n) dicit; & CONVESCENS simul cum illis. Sic hoc ar-
gumentū ipsi quoque Apostoli semper astruxerunt resurre-
ctionis fidem, ut cum ajunt; (o) qui quidem CIBUM SI-
MUL SUMSIMUS, ET BIBIMUS CUM ILLO. Eridem
cum Praeceptore suo sentit THEODORETUS, (p)
Chrysoctomi discipulus, qui, ut probaret, Jesum Christum
post

(m) D. Joan. Chrysoctom. Homil. 1. in Act. Apost. Cap. 1.
Verf. 4. pag. m. 4.
(n) Act. Apostol. Cap. 1. v. 4.
(o) Act. Apostol. Cap. X. v. 41. collat. Luc. Cap. XXIV.
Verf. 42, 43.
(p) Theodoret. 2. Dialog. 21. fol. 98.

post resurrectionem *EDISSE* ac *BIBISSE*, ad demonstrandam resurrectionis suæ veritatem, hunc versum 4. Act. Cap. I. adduxit, ita ut τὸ συναλιζέσθαι acceperit pro *CONVESCERE*. Chrysoctomi ac Theodoretii vestigia prescit (q) *THEOPHYLACTUS*, itemque (r) *OECUMENIUS*, qui locum hunc, Act. 1. ψ. 4, enarrantes, disertâ atque apertâ hac usi sunt metaphrasi: καὶ συναλιζόμενοι. Συνεδρίων καὶ πίνων τούτοις κοινωνῶν ἀλλῶν, καὶ κοινωνῶν τραπέζης. Conferendus quoque est *HIERONYMUS*, qui Hedybiæ quæstioni septimæ respondens, legisse (s) videtur *CONVESCENS*, quemadmodum id alii ex sequentibus verbis colligunt: in altero, inquit *HIERONYMUS*, tanta erat familiaritas & perseverantia, ut cum eis (Apostolis) pariter *VESCERETUR*. Et paulò post: in Joanne legitur, quòd (Jesus) piscantibus Apostolis in littore steterit, ac partem assi piscis, favumq; *COMEDERIT*, quæ veræ resurrectionis sunt indicia.

Argumen-
tum IV.

ARGUMENTUM QUARTUM colligitur ex (t) *ATHENÆO*, quem *HERODOTO*, Scriptori longè antiquiori, supra, pag. 4, citato, quasi è regione opponunt. Verba *ATHENÆI* sunt hæc: οἱ Θεῶν χάριν (u) ἤλιζοντο καὶ συνήσαν, i. e. *JACOBO DALECHAMPIO CADOMENSI* interprete, quòd ob reverentiam Deorum coibant & excubabant, ex quo loco, observante *ISAACO*

(q) Theophylactus Enarrat. in Act. Apost. Cap. 1. vers. 4.

(r) Oecumen. Enarrat. in Act. Apost. pag. 3. liter. D. Cap. 1.

(s) Des. Erasim. Roterod. in Act. Apost. Cap. 1. ψ. 4.

(t) Athenæus Libr. II. Cap. 3. pag. 83. Numer. 40. Auctor hic longò temporis intervallo post Herodotum Halicarnasf. vixit, nimirum sec. demum III. post C. N. Confer. §. IV. Not. (c.)

(u) ἠλιζοντο ab ἀλιζουαι.

ISAACO CASaubONO, colligunt, quòd verba ἐλί-
ζεσθαι & συναλιζεσθαι significant, ad cœnam convenire.

Verba (v) CASaubONI hæc sunt: *etsi autem*, inquit,
ἐλίζεσθαι, & συναλιζεσθαι, *generali notione*, CONGRE-
GARI significant, *sinè finis discrimine*: *fuere tamen*, qui
de CONVENIENTIBUS ad COENAM conditam NB
proprie putarent usurpari. Ita usus est hic ATHENÆUS
illa voce. Ita etiam accepit Novi fœderis SYRUS INTER-
PRES, cum συναλιζόμενοι αυτοῖς, verteret in initio ACTO-
RUM $\text{ἐκείνῳ ἵπῳ} \text{ἴκῃ}$, i. e. COMEDENS unâ pa-
nem.

ARGUMENTUM QUINTUM consistit in se-
quenti ratiocinio: major emphasis, inveniunt, est in
CONVESCENDI, quàm CONGREGANDI significatio-
ne: nam quicumque συναλιζεσθαι vertunt, CONVE-
NISSE Jesum cum discipulis, ejusdem nudam præsen-
tiam tantummodo denotant; qui verò vertunt, COME-
DISSE scilicet, eum cum illis, ampliore modam præ-
sentia indicant.

ARGUMENTUM SEXTUM. Necesse est, ajunt,
ut συναλιζόμενοι vertatur CONVESCENS, quòd, teste
SCHOLIASTÆ GRÆCO, τὸ συναλιζεσθαι, i. e. CON-
VESCERE, tanquam singulare quoddam resurrectionis te-
stificandæ signum à Christo fuerit adhibitum. Verba
SCHOLIASTÆ GRÆCI, in Actorum Cap. X, v. 41, ita
se habent: Ἐντεῦθεν τὴν ἀνάστασιν τῆ Χριστοῦ διαβεβαιῶ-
ται, ἐκ τῆ συμφαγεῖν αὐτῷ μετὰ τὴν ἀνάστασιν οὐδὲ γὰρ
ἀνάστασις ἐποίησέ τι σημεῖον αὐτῇ γὰρ ἡ ἀνάστασις μέγα ση-
μεῖον ἦν ταύτης δὲ οὐδὲν σημεῖον ἦν, ὡς τὸ φαγεῖν καὶ πι-
εῖν,

B

(v) H. Casaubon. *Animadversion. in Athenæum*, Lib. II.
Cap. III, pag. 83, Num. 40.

εἶν, id est, *Hinc confirmat* (Petrus) resurrectionem Christi ex eo, quod unà cum illo post resurrectionem **EDERIT**: neque enim, postquam (Jesus) resurrexit, signum aliquod edidit: nam ipsa resurrectio magnum erat signum: hujus autem signum erat nullum evidentius, quàm **EDERE & BIBERE**.

§. VII.

*Formula
judicialis
de conve-
scendi si-
gnificati-
one.*

Atque hæc sunt **ARGUMENTA** Auctorum illorum, ex quibus concludunt, minimè alienam esse **VER-
SIONEM** istam, quæ συναλιζόμεν^ο vertit **CONVE-
SCENS**: licèt enim, inquirunt, συναλιζομαι, sit synony-
mum, idem significans, ac verba συναθροίζομαι & συνά-
γομαι, probandum tamen nequaquam censemus, ni-
mirum, modò dictam **CONVESCENDI** significationem
esse planè reprobendam.

§. VIII.

*Crisis in di-
versas An-
thorum sen-
tentias in-
cipit.*

Hactenus quidem à paragrafo quarto, usque ad finem paragraphi septimi, pag. 3.-10, diversas **INTER-
PRETUM** sententias, quæcunque de **SIGNIFICATIO-
NE** vocabuli συναλιζόμεν^ο traditæ sunt, ordine decen-
te, unà cum **ARGUMENTIS** illuc spectantibus com-
memoravimus; nunc verò, quemadmodum supra §.
II, pag. 2, promissimus, falcem nostram criticam in eo-
rundem **INTERPRETUM** messem, ea, qua par est, mo-
destia immitemus, eum in finem, ut certam quandam
SIGNIFICATIONEM inveniamus, ita tamen, ut, quoad
fieri poterit, nimis rigida absit virgula censoria: quic-
quid enim lecturis libertatis avidis, crisi nostrâ præcun-
te, libitum fuerit approbare, id & nobis placebit.

§. IX.

Ut verum fateamur, ex perpenſatione illorum AR- Certo sub
GUMENTORUM, quæcunqve de vocabuli συναλιζή- respectu nō
μενⓄ SIGNIFICATIONE, supra §. IV, §. V, §. VI, itaque di-
& §. VII, protulimus, unusquisqve nobiscum facillè anim- Et signifi-
advertit, quòd utraqve SIGNIFICATIO, & CON catio, voci
GREGANDI, & CONVESCENDI, certo sub respectu συναλιζή-
locum, nisi in totum, tamen in tantum, habere possit. Ⓞ conve-
Animadvertentur idem ante nos (w) VENERABILIS nire potest.
BEDA, & (x) LUCAS BRUGENSIS, quippe qui u-
tramqve illam SIGNIFICATIONEM, vocabulo συναλι-
ζόμενⓄ attribuisse videntur, quemadmodum ex ipso-
rum scriptis in ACTA APOSTOLORUM haud temere
colligimus. BEDÆ quidem verba hæc sunt : ad im-
struendam suæ resurrectionis fidem, DOMINUS Apostolis
post passionem suam vivus sapius APPARUIT, CIBOS
SUMSIT, eandemq, quam à mortuis suscitaverat carnem,
palpandam exhibuit. LUCAS autem BRUGENSIS cla-
rius mentem suam explicat dicens : συναλιζεσθαι con-
versari ὁμολογουμένως significat : sed συναλιζεσθαι, (à quo
formatur συναλιζόμενⓄ) &c. non solum CONGRE-
GARE, CONJUNGERE, aut CONVENIRE, ve-
rum etiam συνεσθίειν, CONVESCI, denotat.

§. X.

At enim, quamvis nemini invito hanc illamve, aut Congregan-
etiam utramqve SIGNIFICATIONEM eligendam ob- di significa-
trudere. Ⓞ pro con-
vescendi su-
gnificatiu.
oligitur.

B 2

(w) Vener. Beda, in Actor. Apostol. Cap. I, v. 4, Tom. V. pag. 863.

(x) Luc. Brugenf. Annotat. in Actor. Apostol. Cap. I, v. 4, 6, Bibl. Critic. Tom. VII.

trudere, multum laboremus, sed potius, quamcunque voluerit, & comprobandi, & reprobandi copiam unicuique plenissimò ac liberrimò jure concedamus, atamen, ad nostram quantum spectat sententiam, si videlicet una præ alia seligenda foret *verso*, malleus certe CONGREGANDI, quàm CONVESCENDI SIGNIFICATUM dicto vocabulo attribuere, ita, ut ΣΥΝΑΛΙΖΟΜΕΝΟΣ μετ' αὐτῶν, sit BEZA Interprete, CONVENIENS CUM ILLIS, scil. Apostolis, vel (z) rectius & melius, CONGREGATIS SE ADJUNGENS.

§. XI.

Rationes
generales,
quare po-
tius congre-
gandi signi-
ficatio voci
συναλιζόμε-
νος con-
venias?

Quoad RATIONES, quæ nos movent, CONGREGANDI SIGNIFICATIONEM vocabulo ΣΥΝΑΛΙΖΟΜΕΝΟΣ tribuere, erunt vel *generales*, vel *speciales*. *Generales* dabimus tantummodo duas, quarum PRIMA hæc est: Versio *CONVESCENS*, utpote quæ puriori Latinitati contrariatur, non est *vescendo*, id est palato nostro non aridet: nullus enim probatæ Latinitatis Auctor, quoad longissime potest mens nostra lectionis memoriam recordari, verbò CONVESCOR, aut ejusdem

(z) Observante SCALIGERO, in Animadversionibus MSS. ad Beza Nov. Testam. inquit: BEZA non rectè vertit συναλιζόμενος μετ' αὐτῶν, CONVENIENS CUM ILLIS: nam, ego CONVENIO cum plebe in Comitium, non est Latinum: sed, plebs CONVENIT in Comitium, Homines conveniunt: sed συναλιζόμενος μετ' αὐτῶν est, CONGREGATIS SE ADJUNGENS. CONVENIO, dicitur de pluribus, non de uno, nisi alio significato, CONVENIO Chremem. At discipuli CONVENIUNT in unum, & Christus illis supervenit, & se adjunxit. Vid. H. L. Schurzfleischii Acta Literaria, pag. 26. Idem BEZA malè quoque addidit illud μετ' αὐτῶν. Confer. Disputat. nostram, Decimam, in Acta S. Apostolor. §. VI, & VII. pag. 6, 7.

participiō CONVESCENS, usus est. Confer præter alios FABRI Theſaur. Erudit. Scholaſt. in voc. VESCOR. *Ratio SECUNDA generalis*: ſi CONVESCENS cui probatur, quemadmodum *Pontificiis* plurimis haud improbat, is ſedulò perpendat, an συναλιζόμενος dici NB SEMPER poſſit de ſalis communionē, juxta tritum illud proverbium: *ſalem & menſam ne prætereas*. Id autem, niſi quis certè probaverit, nequaquam ſequitur, Chriſto heic, Act. I. v. 4. fuiſſe cum Apoſtoliſ *convivium*.

ſ. XII.

Quantum ad RATIONES SPECIALES, quæ itidem movent, CONGREGANDI *Significatio* NEM vocabulo ΣΥΝΑΛΙΖΟΜΕΝΟΣ arrogare, erunt numerō SEX, & quidem è regione oppoſitæ SEX illis ARGUMENTIS, quibus pars adverſaria, ſ. VI. pag. 6. -- 10. *verſionem* CONVESCENS eligendam eſſe cenſuit.

RAT. I. SPECIALIS. Ita ipſa ETYMOLOGIA, (aa) quâ συναλιζομαι deducitur ab ἀλις, mare, plural. ἄλιες, quâ συναλιζομαι, apparet admodum gracilis & veſcens, quia plures alii (bb) Auctores, qui æquè ac ceteri vim atque valorem verbi συναλιζομαι intellexerunt, idem verbum ab alio ETYMO, nempe ab ἀλις ſalis, & ἀλία cætus, derivârunt. Atque huc referenda commentatio THEODORI BEZÆ, qui quidem (*) fatetur, ſub nomine

B 3

(aa) Vid. ſ. VI. ARGUMENT. I. pagin. 6.

(bb) Confer. pag. 2. ſ. III. ab initio. Item ſ. IV. ARGUMENT. I. pag. 3.

(*) Vid. TH. BEZÆ Annotat. in Nov. Teſtam. Act. I, v. 4. Addatur JOACH. CAMERAR. Commentar. in eundem locum Actorum Apoſtolicorum.

mine ἀλῶν, i. e. *salis*, mutuuum *convictum*, apud Græcos significati, sed non existimat, apud ullum probatum scriptorem Græcum exstare hujus significationis) scil. CONVE-SCENDI) verbi συναλιζειν exemplum, utpote quod verbum non ab ἄλες, sed ab αἰλία deducendum sit, quod (nempe vocab. αἰλία) apud idoneos Auctores, ac præsertim HERODOTUM significet, COETUM AGGREGATUM.

Rat. II.
Special.

RAT. II. SPECIALIS. Quòd (cc) *Versiones* quædam, CONVE-SCENDI significationi favent, id ipsum non multum moramur, cum & (dd) aliæ à nobis sint adductæ *Versiones*, quæ vocabulo συναλιζόμενῳ CONGREGANDI significationem concesserunt. Adde, quòd solæ *Versiones*, licet antiquissimæ, si ab editis & MSS codicibus differant, neque lectionem variantem, neque significationem certiore efficiant, Confer id, quod (ce) alibi ea de re notavimus.

Rat. III.
Special.]

RAT. III. SPECIALIS. Ab AUCTORITATIBUS (ff) PATRUM ECCLESIASTICORUM, qui vocabulum συναλιζόμενῳ interpretati sunt, CONVE-SCENS, non pendemus, sin autem pendere deberemus, opponimus iisdem PRIMO auctoritatem (gg) CYRILLI, quippe qui συναλιζόμενῳ, non per συνεδίων, sed per συναθροίσμενῳ reddidit. SECUNDO, si quis instare velit: *uti una hirundo non facit ver, ita unicus Pater CYRILLUS nihil*

(cc) Vid. §. VI. ARGUMENT. II. pag. 6. & 7.

(dd) Vid. §. IV. ARGUMENT. II. pag. 3.

(ce) Conf. Disputat. nostram Decimam in Acta Apostol. §. VII. pag. 6.

(ff) Vid. §. VI. ARGUMENT. III. pag. 7. -- 8.

(gg) Vid. §. IV. ARGUMENT. III. pag. 3.

nihil efficit contra quinque Patrum, **AUCTORITATES** videlicet **CHRYSOSTOMI**, **HIERONYMI**, **THEODORETI**, **THEOPHYLACTI** & **OECUMENII**, qui **CONVESCENDI** significationem in vocabulo συναλιζόμενοι comprobant, iste sciat, nobis os ita obturatum non esse, ut ad prolatas objectiones respondere nequeamus.

RESPONSIO PRIMA: non vacavit, plures alios Patres *Resp. 1.* evolere, alioqui procul dubio, multò plura scopo nostro inservientia invenire potuissemus. **RESPONSIO SE** *Resp. 2.* **CUNDA**: omnes illarum quinque Patrum **AUCTORITATES** certo sub respectu pro una eademque auctoritate haberi poterunt: nam, uti constat, **CHRYSOSTOMUS**, atque **HIERONYMUS**, seculò quartò & quintò vixerunt coætanei; item **THEODORETUS**, qui quoque seculò quintò floruit, Chrysostomi discipulus existit. Quid ergo magis verisimile apparet, ac, quòd alter alterius sententiæ, ex coeco personarum respectu, quoque hodie, & olim nihil solet esse frequentius, adhaerit. Nec minoris momenti sunt ea, quæ contra **THEOPHYLACTUM** & **OECUMENIUM** monemus: quis enim nefcit, Theophylactum & Oecumenium Chrysostomi epitomatores & abbreviatores à multis magnæ eruditio- nis Viris, & haberi, & reapse esse? Quæ omnia, si ponamus, quinque illorum Patrum auctoritates vix unam constituent. **RESPONSIO TERTIA**: quòd si verò, *Resp. 3.* hoc non obstante, quis alius amplius instet, & obstet, eum in finem, ut nostro **CYRILLO** plures Patres venerabiles ad latus collocemus, is consulat **AUGUSTINUM** & **LACTANTIUM**: **ILLE** aliquot in locis, ex. gr. ad-
versus

Resp. 4.

versus Felicem Manichæum legit (hh) *conversatus*; HIC autem (ii) *commoratus est*. Proinde (kk) LAURENTIUS VALLA rectè sentit, quando existimat, perperam in Codicibus Latinis legi *CONVESCENS*, cum potius legendum sit, *conversans*. Quæ omnia *convescendi* significationi sunt contraria. RESPONSIO QVARTATA. Habemus insuper, quod in testimonio (ll) CHRYSOSTOMI carpere possumus. Pater hic inquit; *καὶ συναλιζόμενος αὐτοῖς*, id est, & *CONVESCENS* scil. Jesus cum illis scil. Apostolis. Ut verò probet, Jesum solitum fuisse, post resurrectionem suam cum Apostolis *VESCI*, provocat ad locum Act. Cap. X. Vers. 41, qui locus probanda non adeò accuratè probat: nam ibidem, Apostolos cum Christo, non autem Christum cum Apostolis *EDISSE* ac *BIBISSE* legimus. Quòd verò inter has locutiones *magnum* detur *discrimen*, observavit (mm) CAMERO. Carpendus itaque est *CHRYSOSTOMUS*,

(hh) AUGUSTINI verba hæc sunt: & *quomodo conversatus sit cum illis, præcepit* &c. Act. 1. ψ. 4.

(ii) Lactant. *de mortibus persecutor.* §. 2. pag. 680.

(kk) L. Vallæ Annotat. in Acta Apostolor. Cap. 1. ψ. 4.

(ll) Vid. §. VI. ARGUMENTI. TERT. pag. 7.

(mm) JOAN. CAMERO, Annotat. ad Act. Apost. Cap. X. ψ. 41, in quem locum ita scribit: *Videtur quidem Petrus disertissimis verbis affirmare, Christum unà cum Discipulis BIBISSE, postquam resurrexit à mortuis; sed hic illud primum observandum est, quod Petrus non dixit, Christum COMEDISSE ac BIBISSE cum Discipulis, sed Discipulos COMEDISSE ac BIBISSE cum Christo; inter quas locutiones MAGNUM SANE DISCRIMEN est. Nam si priori usus fuisset Petrus locutione, haud dubiè eam adhibuisset eo animò, ut inde fidem adstru-*

MUS, quia dictas locutiones promiscuè adhibuit. RESPON-
SIO QUINTA. Nec THEODORETUS, nec *Resp. s.*
HIERONYMUS, ab omni nota planè immunes existunt:
ILLE enim (nn) asserit, Christum post resurrectionem
EDISSE & NB BIBISSE, quod ultimum expressis ver-
bis in S. Scriptura non extat: HIC autem, uti (oo)
Erasmus satis quidem appositè monuit, non absolutè
legit, sed legisse NB videtur CONVESENS.

RAT. IV. SPECIALIS. Quantum spectat ad Rat. IV.
verba (pp) ATHENÆI; ὅτι Θεῶν ἁπάντων ἰλιγγιοντο &c, ea *Special.*
non multum curamus: nam PRIMO unicus ATHE-
C NEUS,

adstrueret resurrectioni Christi; quomodo Christus ipse dignatus
est VESCI cum Discipulis: nam BIBISSE cum post resurrectio-
nem, in historia Evangelica non legimus. Jam vero, cum di-
versis locutione usus sit Petrus, haud dubiè ea locutione designa-
vit tantum (ea figurà, quæ dicitur CONSEQUENS pro AN-
TECEDENTI) convictionem & familiaritatem Discipulorum
cum Christo; Non, inquit Petrus, Act. X. v. 41, toti populo,
sed nobis, qui unà cum eo EDIMUS & BIBIMUS, id est, quæ
cum eo conjunctissime vivimus. Itaque hæc verba, qui unà cum
eo EDIMUS & BIBIMUS, distinguenda sunt à sequentibus,
postquam surrexit à mortuis, & jungenda sunt cum antece-
dentibus, non toti populo, sed testibus, quos antea designave-
rat: illa verò, postquam surrexit à mortuis, connectenda sunt
cum sine versus antecedentis quadragesimi, sic, ἡγὼ ἔδωκα αὐτῷ
ἰσχυρὴν πνεῦμα ὑπὲρ τὸ ἀνασθῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, id est, vertente
Beza, fecitque scilicet DEUS, ut conspicuus fieret JESUS, post-
quam surrexit à mortuis.

(nn) Vid. Theodoretæ testimonium. §. VI. ARGUMENT.

TERT. pag. 7. & 8.

(oo) Vid. D. Erasmi. Roterod. Annotat. in Acta Apostolor.
Cap. I. v. 4.

(pp) Vid. §. VI. ARGUMENT. QVART, pag. 8. & 9.

NÆUS, variorum Auctorum (qq) Compiler, nihil valet contra usum aliorum probatorum Auctorum, quibus, ex. gr. (rr) HERODOTO, (sf) XENOPHONTI, (ff) LUCIANO, (tt) HESYCHIO, (uu) SVIDÆ, &c συναλιζεσθαι idem significat, ac συναγεσθαι, & συναθροιζεσθαι. **SECUNDO** (vv) Dalechampius, Athenæi Interpres, qui procul dubiò æquè ac Casaubonus Græcarum literarum peritus fuit, verbum ἡλιζοντο vertit simpliciter, COIBANT, non autem, AD COENAM CONVENIEBANT, quemadmodum quidam Anonymi, animadvertente (xx) Casaubonò, vertendum NB putârunt. **TERTIO**, (yy) Syrus interpres, ad quem Casaubonus provocat, nullam nobis in genuina Græcæ Lingvæ interpretatione normam præfigit. Conf. pag. 14. Rat. 2. Special. **QUARTO**, notatu dignissimum est, quòd in acervo vocum Græcarum, quæ quidem ad rem convivalem pertinent, quasq̄ve (zz) JULIUS POLLUX

foli.

(qq) *BAYLE* Diction. Histor. & Critiq. Tom. I, pag. 404. Il ne faut point douter, que les Savans, qui étoient contemporains de l' Auteur, (*ATHENÆUS*) ne jugeassent moins avantageusement de son Ouvrage, que l'on en juge en ce siècle. Ces Savans pouvoient aller à la source, & y avoient vu la plupart des choses, qu' *ATHENEE* leur debitoit: ainsi ils ne consideroient son Ouvrage, que du mauvais côté, que comme un entassement, & une NB compilation de recueils.

(rr) *Vid. preced. §. IV. ARGUMENT. IV. pag. 4.*

(sf) *Xenophon. Pad. 1. Kai περὶ πολλοῦ, καὶ ἰσπίας συναλισίας.*

(ff) *Lucianus de luētū. ἑπειδὴν συναλισίαι πολλοί. p. 308.*

(tt) *Vid. preced. §. IV. ARGUMENT. QVINT. pag. 4. & 5.*

(uu) *Ibid. pag. 5.*

(vv) *Vid. preced. §. VI. ARGUMENT. QVART. pag. 8. & 9.*

(xx) *Ibid. pag. 9. (yy) Ibid. (zz) Jul. Polluc. Onomastic.*

Græc. Lib. VI. Cap. 1. & seqq.

folicitè satis congescit, vel nullus verbo συναλιζομαι locus detur, ex quo admodum probabile videtur, τὸ συναλιζομαι, de CONVENIENTIBUS AD COENAM non propriè usurpari. Cecinit itaque Casaubonus viatoriam ante triumphum.

RAT. V. SPECIALIS. Majorem esse (aaa) em-
phasin in CONVESCENDI quàm CONGREGANDI
SIGNIFICATIONE, negamus: nam ponit quidem
CONVESCENDI significatio CONGREGATIONEM
(qui enim CONVESCUNTUR, simul CONGREGAN-
TUR) quoniam verò CONGREGATIO ad CONVE-
SCENDUM nimium specialis, præstabit eligere CON-
GREGATIONEM generiorem sinè ullo finis discrimi-
ne, ita ut J. Christus non solum ad MENSAM CON-
GREGATIS Apostolis sese adjunxerit, sed etiam alibi,
& alio tempore comparuerit: quemadmodum (bbb)
sacer codex varias istiusmodi CONGREGATIONES &
apparitiones recensuit.

RAT. VI. SPECIALIS. Quòd τὸ CONVESCERE Ratio VI.
(ccc) tanquam singulare quoddam ac indubitatum re-
surrectionis suæ testificandæ signum à Jesu Christo fue-
rit adhibitum, nemo ibit infortias. Quòd autem illud
ipsum CONVESCERE, hac apparitione s. CONGREGA-
TIONE J. Christi ultima, de qua Textus noster, Act. I, 4,
loquitur, præcisè factum sit, non adeò clarè liquet: nam
LUCAS, quando inquit; καὶ συναλιζόμενος, &c. decla-
rare non vult, quid Jesus egerit, ut resurrectionis suæ
fidem

C 2

(aaa) Confer. præced. §. VI. ARGUMENT. QUINT. pag. 9.

(bbb) Confer. 7. Lightfoot. Oper. Tom. II. Comment. in Actis
Apost. Cap. I. §. 3. pag. 748, 749.

(ccc) Vid. præced. §. VI. ARGUMENT. VI. pag. 9.

fidem faceret, sed, quid egerit cum Apostolis, cum jamjam esset, fide resurrectionis suæ jam (ddd) antea abundè factâ, in cælum ascensurus.

§. XIII.

Convalescendi igitur significatio non videtur vesca.

Atque ex (eee) hæctenus in medium prolatis rationibus, tum *generalibus*, cum *specialibus*, ut & ex (fff) præcedentibus *ARGUMENTIS* affatim patet, *CONVESCENDI SIGNIFICATIONEM*, quam aliter sentientium stomachis, licèt stomachari videantur, concoquendam relinqvimus, nobis non esse *vescam*. Ὁπερ ἔδει δεῖξαι.
Q. E. D.

§. XIV.

Eligenda potius est congregandi significatio.

Ne tamen Critici nimis rigidi videamur, licitum esto unicuique, quamcumque voluerit *SIGNIFICATIONEM*, vel etiam utramque, & *CONVESCENDI*, & *CONGREGANDI* eligere. Quantum autem ad nos, *CONGREGANDI SIGNIFICATIONEM* magis propriam ac convenientiorem esse arbitramur. Ecquvis enim ignorat, Jesum Christum cum Discipulis suis per quadraginta illos dies, Act. I, v. 3, sæpius *congregari*, versariqve solitum fuisse.

§. XV.

Congregavit Jesus Apostolos, ut Pastor.

CONGREGAVIT Jesus Apostolos suos, velut *PASTOR* oves suas luporum irruptione territas atque dissipatas cogere & colligere solet. Quòd autem τῶ κυριαλιζῶσαι de armentis congregatis usus sit Herodotus, Lib. I, (ggg) Camerarius jam suo tempore observavit.
Optimè

(ddd) Antea, nempe quadraginta illis diebus, de quibus loquitur versus tertius, Act. I, Cap. I.

(eee) Vid. præced. §. XI, & XII, pag. 12, - 29.

(fff) Vid. præced. §. IV, pag. 3, - 5.

(ggg) Joach. Camerar. *Commentar. in Act. I, Apost. Cap. I.*

Optimè igitur hic usus verbi συναλιζεσθαι huic loco Act. I, ψ. 4. congruit: Christus enim, qvι, ὅταν τὴν κηδεμονίαν, ut loquitur (hhh) *THEOPHYLACTUS*, ἐμφῶναι βέληται τὴν περὶ ἡμᾶς, ΠΟΙΜÉΝΑ ἑαυτὸν ὀνομάζει, i. e. quando curam suam erga nos demonstrare vult, *PASTOREM seipsum nominat*, hinc tanquam (iii) *bonus & (kkk) magnus PASTOR, oves*, i. e. (III) Discipulos suos, à *lupis rapacibus*, i. e. (mmm) Principibus Populi Judaici dissipatos, iterum congregavit, ut, anteqvam in cælum ascenderet, eosdem necessariis doctrinæ ac solatii præceptis instrueret atqve muniret. Certè hæc *CONGREGATIO* indicat inter alia singularem Christi curam erga suos, qvos quidem subinde fugari & vastari, nunquam autem funditus deleri patitur. Curam hanc *PASTORALEM* satis emphaticè describit (nnn) *NAZIANZENSIS* dicens: ὁ Ἰησοῦς καλεῖται ΠΟΙΜῆΝ, ὡς εἰς τόπον χλόης κατασηκῶν, καὶ ἐκτρέφων ἐπὶ ὕδατος ἀναπαύσεως καὶ ἐντεῦθεν ὀδηγῶν, καὶ προπολεμῶν κατὰ τῶν θηρίων, τὸ πλανώμενον ἐπιστρέφων, τὸ ἀπολωλὸς ἐπαγάγων, τὸ συντετριμμένον καταδεσμῶν, τὸ ἰσχυρὸν φυλάσσων, καὶ πρὸς τὴν ἐκείθεν μάνδραν λόγοις ποιμαντικῆς ἐπισήμης; i. e. *Jesus vocatur PASTOR, tanquam nos in loco PASCUÆ collocans, & aquâ refectiois nutritiens, atqve hinc itineris Ducem se nobis præbens, nec non adversus belluas pro nobis dimicans: tum etiam, ut erran-*

C 3

109

(hhh) Theophylact. in Cap. X. Joan. pag. 707.

(iii) Evangel. Joan. Cap. X. ψ. 14.

(kkk) Hebr. Cap. XIII. ψ. 20.

(III) Matth. Cap. X. ψ. 16.

(mmm) Luc. Cap. X. ψ. 3. collat. Ezéch. Cap. XXII. ψ. 27.

(nnn) Nazianzensis, Orat. XXXVI. pag. 592.

tes ac perditos in viam reducens, & contractos obligans, & infirmos roborans: & firmos ac validos custodiens, atque ad futura vita *OPILE* per *PASTORALIS* scientia rationes colligens. Præsertim autem, conjecturante (ooo) *STRESONE*, vox συναλιζόμενος nobis in mentem revocare debet magnam illam *CONGREGATIONEM*, (dat groote vendevous) cùm Filius Dei, ultimò die suos electos colliget, Matth. XXIV. ψ. 31.

§. XVI.

Congregavit
vit Jesus
Apostolos,
ut Archi-
strategus.

CONGREGAVIT JESUS Apostolos suos, velut *ARCHI-STRATEGUS*: sicut enim talis *militres* suos dispartatos, victoriâ partâ, in ipso prælii loco *CONGREGAT*, ut armis suis victricibus hostes prostratos & fugatos ostendat, ita etiam *JESUS*, posteaquam contra hostilem *tenebrarum potestatem*, & *Principem mundi Diabolum*, fortiter pugnaverit, Discipulos suos, non obstante, quòd malè *militâsset*, iterum *CONGREGAVIT*, ut non solum notum faceret, SE gloriosissimè vicisse, sed & ut illos ipsos ad futuram *militiam* armaret, Christianâque *armaturâ* instrueret: oportebat enim, ut tanquam (ppp) καλοί στρατιῶται, (qqq) certamen præclarum decertarent, cursum consummarent, & fidem Evangelicam propagarent. Atque ad hanc *militiam Christianam* (rrr) *PAULUS* suos Ephesios seriò hortatur. Huc quoque spectat monitum (sss) *CLEMENTIS ALEXANDRI*

(ooo) Casp. Streso, *Commentar. Præctic. in Acta Apostol.*
Cap. 1. Concio. IV. Num. 1. pag. 8.

(ppp) II. *Timoth.* II. ψ. 3.

(qqq) II. *Timoth.* Cap. IV. ψ. 7.

(rrr) *Epist. ad Ephes.* Cap. VI. ψ. 10, 11, & seqq.

(sss) *Clem. Alexandr. Admonitio ad Gentes.* Pag. 72. *Edit. Colonienf. An. 1688.*

XANRINI : ἐξοπλισώμεθα ἱερηνικῶς, ἐνδυσάμενοι τὸν
 θώρακα τῆς δικαιοσύνης, καὶ τὴν ἀσπίδα τῆς πίστεως ἀνα-
 λαβόντες, καὶ τὴν κόρυν τῆς σωτηρίας περιθέμενοι, καὶ τὴν
 μάχαιραν τῆς πνεύματος, ἡ ἔστι ρῆμα θεῶν, ἀκονήσωμεν
 ὄντως ἡμῶν ὁ Ἀπόστολος ἱερηνικῶς ἐκτάττει. Ταῦτα ἡμῶν
 τὰ ὄπλα τὰ ἀτρωτά. Τέτοις ἐξοπλισάμενοι παραταξώμεθα
 τῷ πονηρῷ. Τὰ πεφυρακταμένα τῆς πονηρῆς ἀποσβέσωμεν
 βέλη &c. i. e. ARMEMUR pacificè, induentes THORA-
 CEM justitiæ, & fidei CLYPEUM asumentes, & GA-
 LEAM salutis imponentes; & GLADIUM Spiritus, qui
 est verbum Dei, acuamus. Ita nos Apostolus ordinat pa-
 cificè. Hac sunt ARMA nostra invulnerabilia. His AR-
 MATI, adversus malum instructi ACIE confiligamus,
 ignea mali jacula extinguamus &c.

§. XVII.

CONGREGAVIT JESUS Apostolos suos, tan-
 quam LEGISLATOR : sicut enim ἀλία, αἰετις, vit Jesus
 (unde ἀλιζω, συναλιζω, συναλιζομαι descendunt) apud Apostolos,
 Græcos & Romanos denotat (itt) CONGREGATIO tanquam
 NEM legitimam, in qua de LEGIBUS ferendis ageba-
 tur : ita & hic cum in finem Apostoli CONGREGATI
 fuerunt, ut mandata ultima, & LEGES de ministerio
 Evangelii rite administrando à Christo acciperent. No-
 tandum præterea, quòd hoc ministerium, cujus APOSTO-
 LI tum temporis debebant esse dispensatores, ὀικονομία
 τῆς χάριτος (uuu) nominetur. Ut igitur Apostoli
 (vvv) καλοὶ θεῶν χάριτος 'OIKONÓMOI fierent, JESUS
 CHRI-

(itt) Gerbrand van Leeuwen fernere Anmerkungen über
 Cap. I. Act. Apostol. pag. 242.

(uuu) Epistol. ad Ephes. Cap. III. Vers. 2.

(vvv) I. Epist. Petr. Cap. IV. Vers. 10.

CHRISTUS non primò statim die, postquam à mortuis resurrexit, in cælum abiit, sed quadraginta dierum spatio cum Apostolis familiariter versatus, ea, quæ ad regnum DEI spectarent, locutus fuit. Id quod etiam in ultima hac CONGREGATIONE contigit.

§. XVIII.

Quamobrem, cum συναλιζόμενός sit (xxx) genuinæ lectionis, & illius verbi CONGREGANDI SIGNIFICATIO (yyy) huic loco maximè ac optimè conveniat, nemo nobis vitio vertet, si concludamus, CONGREGANDI potiùs, quàm CONVESCENDI SIGNIFICATIONEM vocabulo ΣΥΝΑΛΙΖΟΜΕΝΟΣ esse attribuendam, id quod (zzz) suprâ, factis, superque demonstratum dedimus.

M. O. Δ.

(xxx) Quòd συναλιζόμενός sit genuina lectionis, inde à §. II. Disputationis nostræ Septimæ, in Act. S. Apostol. usque ad finem Disput. X. probavimus.

(yyy) Act. Cap. I. Vers. 4.

(zzz) Suprà, nimirum hac Disputat. XI. §. X. — XIII. pagin. XI. — XX.

Finis Disputationis Undecimæ.

Errata Typographica.


Pag. 2. lin. 21. CAMERARIUS locò CAMMERARIUS.
 Pag. 4. lin. 7. συναλιζέτω locò συναλιζέτω. Pag. 9. lin. 11.
 , וְחַמְלָה locò וְחַמְלָה. Pag. 11. lin. 26. invito, locò
 in vivo. Pag. 14. lin. 4. (scil. locò) scil. Pag. 16. lin. 16.
 post vocabulum Apostolis, infere, post resurrectionem.

❁ ❁ ❁ ❁ ❁

THESES MISCELLÆ.

- I. Posito quidem, nunquam autem concessio, quosdam librorum Canoniorum periisse, nequaquam tamen Traditiones Papales in eorum locum sunt substituenda.
- II. Patres Ecclesiastici non sunt infallibiles in dogmatibus fidei & interpretatione S. literarum.
- III. Copia legendi S. Scripturam omnibus & singulis Ecclesie membris est concedenda.
- IV. Solus Deus, nullus autem homo sanctus, est religiosè colendus.
- V. Latina Vet. & Nov. Test. versio, quam Vulgatam vocant, non est veritatis authentica.
- VI. Falluntur, qui ex angelorum numero, quem Christus, Matth. 26: 53, nominavit, colligunt 72. chiliadas angelorum esse.
- VII. Οι νεανίσκοι, Marc. 14: ψ. 51, fuerunt verisimiliter milites.
- VIII. Joann. Cap. 18: 10, μάχαιρα significat gladium verum ac militarem.
- IX. Act. Cap. I. 4. Pronom. μου referri potest, & ad Genitivum Πατρός, & ad verbum ήκούσατε.
- X. Non satis pater sententia eorum, qui Act. 2: 1, in voc. Πεντηκοστής, genitiv. ήμέρας subintelligendum, putant.
- XI. Ibidem, εν τω συμπληρουσαι την ήμέραν της Πεντηκοστής, non significat, diem Pentecostes jam fuisse præterlapsam, sed venisse, & præsentem existisse.
- XII. Non certè constat, an Act. 2. ψ. 2, per οίκον, templum Hierosolymitanum sit intelligendum.
- XIII. Adverbia ως & ώσει interdum rem ac veritatem ipsam denotant.

- ❁ ❁ ❁ ❁ ❁
- XIV.* Hæres suus & suus hæres differunt.
XV. Verissimum est, Nobilitatem per Adoptionem apud Romanos propagatam fuisse.
XVI. Homines Novi sunt neqve Nobiles, neqve Ignobiles.
XVII. Senatusconsulta nullo unquam Reipubl. Romanæ temporum vim legis per se habuerunt.
XVIII. Errant, qui putant, servos olim Romæ Medicinam tantum exercuisse.
XIX. Physica rerum corporearum principia ignota esse, falsò asserit Cl. Clericus.
XX. Duo extrema Physicæ studio sunt vitanda: (1.) ne sit additus, jurare in verba Magistri; (2.) ne sit Ecclesiasticus.
XXI. Recommendare & recommendatio, sunt scoria Latinitatis barbaræ.
XXII. Oracula ethnicorum non statim post tempora Augusti obmutuerunt.



PRÆSES

A D

DN. RESPONENTEM.

Dum, LUDOLPHE, legis PATRIS vestigia, tentans
Id, quod tentavit, quodqve peregit opus;
Spem tam maturam celebrant præconia famæ,
Ominaque eventus certa fuisse probat.
Fac, nova perpetuò studiorum accessio fiat,
Sic pulchrò nisi gloria PATRIS eris.

Jē 2511

ULB Halle 3
002 379 813




7200

VD 7 VD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO UNDECIMA.

QVA

ACTA
S. APOSTOLORUM

EX SCRIPTORIBUS ANTIQVIS,
SACRO-PROFANIS, MAXIME EX PATRIBUS EC-
CLESIASTICIS ET AUCTORIBUS CLASSICIS
GRAECO-ROMANIS ILLUSTRATA,

JOANNES CASPARUS
SANTOROCCUS,

Profesor Ordinarius,

ET

GEORGIUS PHILIPPUS
LUDOLPHUS,

Eschwecensis,

Publicæ Dnm. Commilit. disquisitioni,

h.l.f. Die xxvi. Novemb. cis id cccxviii.

subjiciunt.



In Academia Marburgensi,

Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr.

